



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Proëmium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

rifestes, & summus Theologus de Ursilio, quod Vir fuerit tantæ Mulieris Gorgoniæ: Quàm potiori ego jure dicam de Divo Josepho vultis uno verbo dicam quantus fuerit? Vir fuit illius Mariæ: vultis scire quantâ puritate, pietate, humilitate, prudentiâ, charitate, contemplatione, modestiâ, castitate, sanctitate, meritis, dotibus cor-

poris & animæ Sanctus Joseph exornatus fuerit? Uno verbo absolvam, Joseph Vir Mariæ de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus: nec enim scio quid amplius dicere necesse sit. Quanquam tamen amplius adhuc restat dicendum, quod scilicet fuerit Pater Christi & Dei, quæ materia est Tractatus qui sequitur.

TRACTATUS SECUNDUS. DIVUS JOSEPHUS Pater JESU.

NOMEN Patris cum sit nomen pietatis, & potestatis, ut etiam docuit antiquissimus Tertullianus, nomen est magnificentissimū & honorificentissimū: Propterea Senes qui ab ipsâ senectute venerabiles censentur, non parùm se honorari putant cum eis à nobis illud nomen *Patris* tribuitur.

Tantum est istud nomen, tam honorificum, tam magnificentum, ut etiam Reges & Principes, aliâque Reipublicæ columina, illud pluris fecerint, & si sapiunt alii, pluris facere debeant, æstimareque se magis honorabiles esse dum Patres populi appellari suis factis merentur, quàm ipso Regali titulo, qui tamen summi culminis est: Et quid mirum cum & ipsis Diis hoc nominis honoris gratiâ tributum sit. Vide Virgilium lib. 2. *Æneidos*, maxime lib. 2. *Georgicæ*. Gellium lib. 5. cap. 12.

Quod si illa appellatio adeo honorifica respectu hominum nobis similitum, quanta quæso erit illa in Divo Josepho, qui talis est per respectum ad Deum? Ptolemæus Rex à divitiis, à potentia, ab armis, à sapientia & judicio famosissimus, cessit adhuc vivens Cotonæ & Regno in favore Filii sui: cumque

Aulici sui id vehementer dissuaderent, quod valde indecens videretur Regem in senio tali se exuere Majestate: Respondit sapienter, se pluris facere Patrem Regis dici, & esse, quam Regem: Ita Joannes Baptista Fulgosius lib. 5. cap. 7. de Parent. Indulgent. erga liberos. Quanta ergo erit tua ô Sanctissime Joseph! gloria, qui non hominis Regis, sed Dei hominis Pater, & verè Pater exillis? Hanc gloriam hoc Tractatu pro viribus exequimur.

CAPUT PRIMUM.

Divo Josepho nomen Patris respectu Christi Domini rectè tribuitur.

Magnus, inquit Abbas Rupertus de Gloriâ filii hominis lib. 1. & verum nomen Beato Joseph Matthæus attribuit, quia si est Vir Mariæ, est & Pater Domini, &c. Ergo Vir Mariæ Joseph, & ipsa Virxor illius. Proinde nec iste ineptè dixit Joseph Virum Mariæ, nec alius Evangelista mentitus est Patrem illum, ejus qui in eâ natus est Christi, appellando. Et erat iniquus Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Quid ergo mirum quod in asserenda ei istâ dignitate adeo